

æpe dictum concilium Lateranense, c. *Nulla*. 2. h. t. relatum.

50. *Potest tamen collator ordinarius alteri delegare potestatem conferendi certum beneficium jam vacans.* — Resp. II. Potest nihilominus collator ordinarius, seu ille, qui habet potestatem conferendi, delegare, seu tradere alteri potestatem conferendi certum beneficium jam vacans. Ita Glossa c. *Deliberatione*, §. *Cuicumque*. de *Offic. legat.* in 6. et Abbas, in d. c. *Constitut.* n. 5. h. t.; Pirhing, eod. n. 9. et alii. Idque argumento a sensu contrario, desumitur ex textu cit. c. *Constitutus*. § fin. ibi: « Promitti, antequam vacent. » Accedit ratio, tum quia tunc cessat fraus, concilio Lateranensi inferenda; eo quod beneficium jam vacet, sicque locum habere nequeat votum captandæ mortis proximi; tum quia beneficium vacans potest canonice in specie conferri: ergo pariter nihil impedit, cuiquam concedi, seu delegari potestatem illud conferendi.

51. *Potestque episcopus suo vicario generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere ac indeterminate.* — Resp. III. Insuper potest episcopus suo vicario generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere, atque indeterminate. Ita Glossa d. c. *Constitutus*. §. *Contra formam concessionis*. et Joan. Andreas, ibid. n. 7. et Abbas, n. 5. et Barbosa, n. 3, h. t. et idem Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54. n. 61, citans alios. Atque istud patet ex cap. ult. juncta Glossa §. *Commissa*. de *Offic. vicar.* in 6. ubi dicitur, « quod officialis, aut vicarius generalis episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa: » et consequenter potest episcopus ipsis quorumcunque beneficiorum (sive, beneficiorum in genere collationem specialiter committere. Concordat c. *Ex frequentibus*. 3. de *Institut.* Ubi officiales episcopi dicuntur posse beneficia conferre. Subintellige, quando hoc ipsum eisdem specialiter est commissum, arg. cit. cap. ult. de *Offic. vicar.* in 6.

52. *Non vero cuiquam alteri, præter vicarium generalem.* — Additur notanter in conclusione, « potest Episcopus suo vicario generali, » etc. Nam episcopus non posset alteri, qui officialis, seu vicarius generalis non est, hoc jus conferendi quæcunque beneficia vacatura committere, arg. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. de *Offic. legat.* in 6. Ubi hoc

ipsum, ad præcavendum fraudibus contra concilium Lateranense committendis, denegatur legatis apostolicis: ac notat Abbas, cit. n. 5. et Barbosa, d. allegat. 54. n. 60. post Quintanadvenas *Ecclesiasticor.* lib. I. cap. v. in fin.

53. *Fallit in præmissis regula illa: Cui licet, quod plus est, licet utique quod minus est.* — Atque ex dictis inferitur duplex fallentia regularium juris. Imprimis enim plus est, posse conferre omnia beneficia vacatura, quam unum duntaxat vacaturum in specie: tamen illa potestas poterit committi per episcopum vicario suo generali; non vero ista, juxta proxime dicta concl. 1 et 3. Quod tamen est contra reg. 53. jur. in 6. quæ habet: « Cui licet, quod plus est, licet utique, quod minus est. »

54. *Fallit quoque alia regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum: et cur?* — Deinde legatus Papæ potest per se ipsum recipere resignationes beneficiorum infra fines suæ legationis, eademque postmodum conferre; non vero per alium, cit. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. de *Offic. legat.* in 6. Similiter episcopus potest per se ipsum omnia beneficia vacatura conferre, non vero per alium, nisi fuerit vicarius generalis ipsius. Horum autem utrumque est contra reg. 68. juris in 6. ibi: « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. » Verum ratio specialitatis, seu fallentiæ dictarum regularum in casibus præmissis, est periculum fraudis committendæ contra concilium Lateranense, in c. *Nulla*. 2. h. t., prohibens conferri, vel promitti beneficia primum vacatura: facilius enim talis fraus committeretur per alios, quibus legatus, vel episcopus ultra suum vicarium generalem, daret illam facultatem conferendi (si posset) quam per ipsummet legatum, episcopum, aut hujus vicarium generalem. Glossa in cit. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. vers. *Cuicumque*. de *Offic. legat.* in 6.

## TITULUS IX.

### Ne Sede vacante aliquid innovetur.

1. *Ratio continuationis rubricarum. Rubrica præsentis tituli continet regulam.* — Visum est duobus præcedentibus titulis de institutioni-

bus, et collationibus Ecclesiarum, atque præbendarum vacantium: postulat nunc ordo continuationis rubricarum, etiam declarare, quidnam Ecclesiis vacantibus liceat, vel non liceat facere. Atque idcirco provide in bonum Ecclesiarum vacantium, quas veluti pastoribus, et defensoribus suis destitutas, facilius in bonis ac juribus suis detrimentum pati contingeret, in rubrica præsentis tituli statuitur regula negative concepta: « Ne Sede vacante aliquid innovetur. » Et quia hæc regula perfectam orationem, sensumque completum continet, eidem inhærendum est, donec de fallentia constet: nam quod rubricæ perfectum sensum continentes utiliter allegentur, valeatque argumentum a rubro, notat Abbas, in rubric. h. t. estque jam dictum supra in præmio lib. I. *Decretal.* § 6. n. 96. et seqq.

## § I.

### DE SEDE VACANTE, EJUSQUE DURATIONE, ATQUE INTELLECTU PRÆSENTIS RUBRICÆ.

2. *Nomine Sedis vacantis, quid intelligatur?* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Sedis vacantis*? Resp. I. Nomine *Sedis vacantis* impræsentiarum vel maxime intelligitur Sedes episcopalis; hoc est, Ecclesia cathedralis, aut metropolitana suo viduata pastore; uti desumitur ex cap. 1. h. t. ibi: « Attendentes igitur, quod episcopali sede vacante non debeat aliquid innovari, cum non sit, qui episcopale jus tueatur. » Atque hoc ipsum ampliatur ad abbatias, et præposituras, aliasque dignitates, quæ per obitum prælatorum suorum censentur viduatae, juxta c. *Ne pro defectu*. 41. de *Election.*; Hostiensis, in *Summa*. h. t. n. 3; Abbas, c. *His quæ*. n. 2. de *Majorit. et obed.*; Barbosa, ad rubric. h. t. n. 2. et alii.

3. *Rubrica præsentis tituli, in quibus locum habeat?* — Resp. II. Nihilominus rubrica præsentis tituli, et regula per ipsum tradita, non solum in cathedralibus, sed etiam in minoribus Ecclesiis, atque beneficiis vacantibus locum habet. Ita Glossa cap. 1. vers. *Ecclesia. de Reb. eccles. non alien.* in 6. pro hoc allegans c. *Cum vos*. 4. de *Offic. ordinar.*; Joan. Andreas, cap. 1. n. 3, h. t.; Barbosa, cit. n. 2; Pirhing, h. t. n. 1. et alii. Accedit ratio, quia non solum Ecclesiis cathedralibus, sed etiam aliis prælaturis, imo et parochialibus Ecclesiis, cæterisque beneficiis in-

ferioribus periculosum foret; milleque præjudiciis obnoxium, si ipsis vacantibus, sicque legitimo defensore carentibus, libere posset quid innovari circa jura, bonaque ipsorum, etiam temporalia.

4. *Verbum, Vacare pluribus modis in jure accipitur.* — Resp. III. Licet verbum, *Vacare*, pluribus modis in jure accipiatur: in proposito tamen *Vacatio* Sedis episcopalis, vel alterius beneficii, importat carentiam proprii prælati, seu rectoris, qui munia ipsius Ecclesiæ peragat, ejusque jura tueatur. Ita Barbosa, ad *Rubric.*, h. t., n. 3 et 4. cum communi. Et quidem prior pars probatur inductione. Sic enim *Vacare* aliquando sumitur, prout idem est, ac cessare: ut 1. *Qui tertiana*. ff. de *Ædilitio edicto*. ibi: « Diebus, quibus morbis vacant: » hoc est, eorum morbi cessant. Nonnunquam vacare dicitur, quod est inutile, ac nullum fructum refert: sic pecunia censetur vacare, quando nullæ inde usuræ, seu lucra acquiruntur, 1. *Quintus Cæcilius*. ff. de *Deposit.* Tacentur alii modi, quibus verbum *Vacare* sumitur, apud Calpinum eodem verbo videndi.

5. *Et quomodo accipiatur in proposito?* — Altera pars patet ex cap. 1. et seqq. h. t. et cap. 1. juncta Glossa vers. *Ecclesia*. et vers. *Defensore. de Rebus eccles. non alienand.* in 6. Porro, quibus modis episcopatus, aliaque beneficia ecclesiastica vacare intelligantur, ex professo dictum est supra tit. V. de *Præbend.* § 12. n. 343 et 344. ac seqq.

6. *Vacatio sedis episcopalis, quandiu duret?* — Quæritur II. Quandiu duret vacatio Sedis episcopalis, alteriusque beneficii ecclesiastici? Resp. I. Sedes episcopalis semel vacans, censetur vacare tandiu, donec litteræ apostolicæ pro novo episcopo in curia promotæ, vel confirmatæ expeditæ, atque capitulo præsentatæ fuerint. Ita Barbosa, part. 3. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54. n. 160; Rebuffus, in *Praxi Benefic.* tit. de *Simonia in resignation.* n. 31 et 40; Gonzalez, ad reg. Cancellar. gloss. 15, § 2, n. 82, 83. et seqq. citans alios; ac n. 88. subjungens, cavendum esse a Flamin. Parisio, de *Resignation. benefic.* lib. 7. quæst. 23, n. 40 et 47. et seqq. dicente, quod Sedes episcopalis amplius non vacet post provisionem novi episcopi a Papa in consistorio factam.

7. *Ea durat usque ad præsentationem litterarum apostolicarum capitulo factam. Idem dicendum de sedibus abbatialibus promotorum in curia.* — Conclusio hæc, quæ etiam pro-



cedit de Sedibus abbatibus promotorum in Curia, habetur expresse decisa in Extravag. *Injunctæ de Election.* inter Commun. Ubi præmissis multiplicibus dictæ constitutionis rationibus, et loquendo non solum de episcopis, sed etiam de abbatibus, aliisque in Curia promotis, § *Præsenti*, sancitur: « Ut episcopi, et alii prælati superiores, necnon abbates, priores, et cæteri monasteriorum regirina exercentes, quocunque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem (apostolicam) promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias, et monasteria absque dictæ Sedis litteris hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere, vel honorum ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant: nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant, » etc. Decernendo irritum, si quid medio tempore a taliter promotis actum fuerit: et tam ipsos, quam capitula, aliosque sine prædictis eosdem recipientes puniendo, ut in relata Extravaganti sequitur.

8. *Sola expeditio litterarum apostolicarum non sufficit ad cessationem vacationis Sedis episcopalis.* — Ex quibus verbis, ponderando ly, « absque dictarum litterarum ostensione, » etc. clare patet, quod sola expeditio litterarum apostolicarum non sufficiat ad cessationem vacationis Sedis episcopalis, vel alterius prælaturæ in Curia collatæ; sed insuper requiratur earumdem litterarum præsentatio facta capitulo, sive conventui. Siquidem ante hanc nequit administrare promotus, neque capitulum seu conventus, potest eundem recipere, juxta allegatam Extravagantem.

9. *Hinc collatio beneficii, communiter spectans ad episcopum et capitulum, potest antea fieri a solo capitulo.* — Infertur proinde, quod, ubi collatio beneficii ecclesiastici communiter spectat ad episcopum et capitulum, valida sit collatio ejus facta per capitulum, spreto episcopo jam promoti, litterasque suæ provisionis habente expeditas, nondum tamen eas ostendente ipsi capitulo: quia cum adhuc duret vacatio Sedis episcopalis, hinc poterit juxta cap. un. h. t. in 6. collatio talis beneficii fieri a solo capitulo sine ulla citatione, requisitione, aut interventione episcopi noviter promoti. Et ita in facti contingentia fuisse resolutam a Rota in una Bur-

gens. canonicatus. 3 junii, 1583, coram R. D. Scipione Lancelloto, refert Gonzalez cit. Gloss. 15. § 2. n. 86, 87 et 88.

10. *Respondetur ad contrariam decisionem Rotæ, et sententiam Flaminii Parisii.* — Nec obstat alia decisio Rotæ in una Burgens. canonicatus. 28 januarii 1583, coram eod. R. D. Scipione Lancelloto, per Flamin. Parisium cit. lib. VII. de *Resignation. benefic.* quæst. 23. n. 47. allegata: et dicens, quod cesset vacatio Sedis episcopalis, sicque potestas capituli, statim post provisionem novi episcopi a Papa in Curia factam. Respondet enim Gonzalez cit. n. 87 et 88. quod per istam Rotam fuerit quidem contrarium decisum; sed non bene considerata dispositione supra memoratæ Extravag. *injunctæ.* Unde ab hac contraria decisione, in eadem causa postmodum fuit recessum per aliam decisionem, die 3 junii 1583. factam, et n. præced. allegatam: quæ posterior decisio postea sæpius a Rota fuit canonizata. Unde (ut jam n. 6. dictum) subjungit, cavendum esse a citato Flaminio Parisio, qui prioris iustaxat, non vero posterioris decisionis rotalis meminuit.

11. *Solvitur instantia.* — Dices cum eodem Flamin. Parisio, loc. cit. n. 48 et 49. Provisio apostolica habet vim electionis, et confirmationis, juxta Calderinum, consil. 4. de *Election.* et Felinum, cap. II. de *Præscription.* Vacatio autem durat usque ad confirmationem; ut inquit Glossa in Clem. vers. *Collatio. Ut lite pendente,* etc. Resp. Etsi vacatio duret usque ad confirmationem: hinc tamen non sequi, quin possit ulterius durare, quando jus specialiter sic disponit, ac requirit etiam præsentationem litterarum provisionis, confirmationis, etc. capitulo, sive conventui faciendam: prout loquendo de promotis in Curia requiritur in cit. Extravag. *Injunctæ de Election.* inter commun.

12. *Vacatio cæterorum beneficiorum, que non indigent provisione, etc., in curia durat usque ad confirmationem novi prælati, seu beneficiarii.* — Resp. II. Loquendo de cæteris beneficiis, quæ non indigent provisione, confirmatione, etc. in Curia, prima vacatio prælaturæ, seu beneficii inferioris, durat usque ad confirmationem novi prælati, seu beneficiarii. Ita Glossa in cit. Clem. 1. vers. *Collatio.* et Abbas, ibid. n. 1. *Ut lite pendente,* etc. Flamin. Parisius, loc. cit. n. 48. post Felinum, in c. *Betholdus.* n. 3. de *Sentent. et re judicat.* estque jam dictum supra lib. I.

tit. VI. de *Electione.* § 2. n. 33 et 34. Idque desumitur ex c. *Quam sit Ecclesiis.* 6. de *Election.* in 6. ubi, ne sit Ecclesiis dispendiosa vacatio, jubetur electus, sub pœna amissionis juris sibi ex electione quæsiti, intra trimestre tempus petere confirmationem suæ electionis: quod ipsum fit c. *Cupientes.* § 1 et 2. eod. in 6. frustra enim ad præcavendum dispendiosæ Ecclesiarum vacationi, tam rigide exigeretur petitio confirmationis, nisi usque ad ipsamet confirmationem vacatio Ecclesiarum durare intelligeretur.

13. *Regula præsentis rubricæ, Ne sede vacante aliquid innovetur, quomodo sit intelligenda?* — Quæritur III. Quomodo regula præsentis rubricæ. « Ne Sede vacante aliquid innovetur, » sit intelligenda? Resp. I. Cum præsens rubrica loquatur negative, simulque perfectum contineat sensum, hinc ex ea habetur argumentum atque regula, quod Sede vacante nihil possit innovari: subintellige, in præjudicium ipsius Ecclesiæ, vel prælati successoris. Ita Glossa in *Rubr.* h. t. et Abbas, ibid. et Glossa un. cap. ult. h. t. dicens, quod vacante Sede nihil fieri debeat, unde possit præjudicari: in aliis vero, in quibus non præjudicatur episcopo potest capitulum supplere vicem episcopi: estque communis. Accedit ratio, quia Sede episcopali vacante non est, qui episcopale jus tueatur, cap. 1. h. t. Unde, quia Ecclesia vacans caret legitimo defensore, merito durante vacatione status ipsius mutari non debet: adeo, ut non valeant gesta in præjudicium ipsius, sed sint nulla; atque revocentur absque aliqua restitutione in integrum. arg. cap. ult. h. t. et notat Glossa, cap. 1. vers. *Sede vacante.* eod.

14. *Ecclesia fungitur jure minoris; imo, si est vacans, jure pupilli.* — Confirmatur id ipsum. Quia Ecclesia fungitur jure minoris, c. *Auditis.* 3. de *in integrum. restitut.* Et jure minoris debet semper servari illæsa, cap. 1. eod. Imo loquendo de Ecclesia vacante, ea fungitur jure pupilli. Fagnanus, c. *Novit.* n. 25. h. t. citans alios: seu, est loco pupillæ, ut inquit Glossa l. *Libertas.* vers. *Administraverunt.* c. de *Excusationibus tutor.* Unde, sicut non currit præscriptio contra pupillum, sed dormit durante ætate pupillari, l. *Sicut in rem.* c. de *Præscript.* 30. vel 40. ann. ita pariter dormit præscriptio adversus ecclesiam vacantem, c. de *quarta.* 4. de *Præscriptione.* et c. *Auditis.* 15. eod. Quia igitur minores curatorem habentes, ac præsertim

pupilli, nihil alienare, vel in suum præjudicium agere possunt absque auctoritate tutoris, vel curatoris, l. *Neque tutoris.* 1. et seqq. c. de *Auctorit. præstand.* merito hoc ipsum ampliatur ad Ecclesiam vacantem, veluti pupillam, et defensorem legitimum carentem.

15. *Tempus Sedis vacantis non est conveniens ad agendum, seu tractandum super statu Ecclesiæ.* — Atque idcirco tempus Sedis vacantis non esse conveniens ad aliquid agendum, vel tractandum super statu Ecclesiæ; recte notat Fagnanus, in cit. c. *Novit.* n. 14. h. t. istud probans ex textu citati capituli. Ibi quippe monasterium Glasfonense (quod Cælestinus Papa erexerat in ecclesiam cathedrali, uniendo illud Ecclesiæ Bathonensi ut idem esset episcopus utriusque) post obitum Bathonensis episcopi, una cum aliis petiit dissolutionem dictæ unionis, eo quod « tempus advenerat, quo sine scandalo » dicti monasterii præjudicium, seu ruina poterat relevari, » etc. ut inquit textus. Verum Papa petitionem hanc exaudire noluit, attendendo, « quod episcopali Sede vacante non debet aliquid innovari: cum non sit, qui episcopale jus tueatur: » permisit tamen, ut cum Ecclesia Bathonensis de præsule fuerit ordinata, dictum monasterium, jus suum apud Sedem apostolicam prosequendi, liberam habeat facultatem.

16. *Regula, Ne sede vacante, etc., procedit ubi innovatio tendit in præjudicium Ecclesiæ: secus, ubi fit melior ejus conditio. Puta, si quid eidem dari promittatur.* — Additur autem n. 13. pro declaratione datæ conclusionis: « Subintellige in præjudicium ipsius Ecclesiæ, vel prælati successoris. » Nam regula illa: « Ne sede vacante aliquid innovetur, » procedit duntaxat, quando tractatus super alio statu Ecclesiæ, atque innovatio quædam, tenderet in præjudicium Ecclesiæ, vel saltem periculum subesset talis præjudicii. Alioquin enim, sicut pupilli meliorem suam conditionem facere possunt absque interveniunt auctoritatis tutoris; ita et Ecclesia vacans, utpote fungens jure pupilli. Proinde etiam Ecclesiæ vacanti applicari potest, quod § 1. *Instit. de Auctoritat. tutor.* de pupillis dicitur: « Si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas; namque placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate: deteriore vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. » Unde



ut inquit Glossa ibidem, « Contractus claudicat quandoque.

## § II.

## DE JURISDICTIONE CAPITULI SEDE VACANTE.

17. *Regula est, quod capitulum sede vacante succedat in jurisdictione episcopi: seu, quod potestas hujus devolvatur ad capitulum.* — Queritur I. An, et qualiter jurisdictione episcopi mortui devolvatur ad capitulum Sede vacante? Resp. I. Regula est, quod capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi: hoc est, quod vacante Ecclesia cathedrali; potestas, sive jurisdictione episcopi devolvatur ad capitulum. Ita Glossa in c. *Cum olim*. §. *Capitulum*. et Abbas, ibid. n. 2. de *Majorib. et obed.* et alia Glossa c. *His quæ*. §. *Pro bono pacis*. et Fagnanus, ibid. n. 49. et seqq. eod. Federicus de Senis, consil. 16. n. 2; Barbosa, cit. c. *Cum olim*. n. 3. post Rotam decis. 1. n. 13. part. II. divers.; Garcias, part. V. de *Beneficiis*. cap. VII, n. 4. allegans alios; estque communis: quamvis in declaratione dictæ regulæ, et quomodo ipsa cohæreat cum alia regula in rubrica præsentis tituli posita, « Ne Sede vacante aliquid innovetur, » doctores non nihil dissentiant. Conclusio hæc desumitur ex cit. c. *His quæ*. 11. et c. *Cum olim*. 14. de *Majorib. et obed.* et cap. un. eod. in 6. et c. *Ad abolendam*. 9. juncta Glossa vers. *Clerici ipsi sede vacante de Hæretic.* et concordantiis n. 26. afferendis, ubi capitulum Sede vacante censetur succedere in ordinaria jurisdictione episcopali. Accedit ratio congruentiæ: quia episcopus et capitulum efficiunt unum corpus, cujus caput est episcopus, membra vero canonici, c. *Novit*. 4. de *his quæ fiunt a prælati*. Unde propter tam arctam communionem, et ad præcavendum pluribus incommodis cæteroquin orituris, merito potestas, atque jurisdictione episcopi Sede vacante, devolvitur ad capitulum.

18. *Ampliatur ad collegia inferiorum ecclesiarum.* — Resp. II. Quamvis data regula potissimum loquatur de Sede episcopali vacante, capituloque cathedrali, recte tamen ampliatur ad collegia inferiorum ecclesiarum: nam etiam hæc Sede vacante succedunt in potestate, et jurisdictione prælati. Ita Abbas, c. *His quæ*. n. 2. juncto textu, et Glossa fin. et Hostiens. et Barbosa, ibid. n. 4. de *Majorib. et obed.* ac novissime Fagnanus, in eod. cap.

*His quæ*. Ubi, cum a n. 39. et seqq. plura in oppositum attulisset; tandem n. 48. asserit hanc opinionem, tum propter auctoritatem Abbatis, tum propter consuetudinem, quæ est optima legum interpres, communiter teneri: eamque (inquit) secuta est Rota in Burgens. jurisdictionis. 22. junii. 1611, coram card. Cavalerio: habeturque impressa part. I. *Recent. decis.* 346.

19. *Atque ad conventus regularium.* — Resp. III. Ampliatur eadem regula ad conventus regularium: nam, quod in monasteriis capitulum, sive conventus, vacante Sede abbati succedat in administratione spiritualium et temporalium, sicut succedit capitulum Ecclesiæ cathedralis ipsi episcopo; notat Abbas, c. *Ea quæ*. n. 9. de *Statu monachor.* et c. *His quæ*. n. 2. de *Majorib. et obed.* istud probans ex Clem. *Ne in agro*. §. *Abbate de Statu monachor.* Idemque tenet Felinus, in d. c. *His quæ*. n. 3. et Barbosa, ibid. n. 4. citans Rotam decis. 346. n. 31. *Recent.*

20. *Excepta receptione novitiorum, et alienatione bonorum.* — Excipitur tamen hinc receptio novitiorum. Nam ubi hæc pertinet ad solum prælatum, eo defuncto nequit conventus novum monachum creare bene tamen, si monachorum creatio spectet ad utrumque simul, text. clar. cap. ult. de *Regularib.* in 6. Excipitur pariter alienatio bonorum, una cum aliis similibus, quæ non possunt Sede vacante expediri. Abbas cit. c. *His quæ*. n. 2.

21. *In declaranda illa regula: Capitulum sede vacante succedit in jurisdictione episcopi, variant doctores.* — Queritur II. Qualiter intelligendum sit, quod capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi? Resp. I. In declaranda præfata regula, seu quod « Capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi, » variant doctores: uti videre est apud Garciam, part. V. de *Beneficiis*. quæst. 7. n. 2. 3. et 4. tres diversas doctorum sententias referentem, de quibus jam antea mentionem fecerat. Glossa in Clem. 1. §. *Capituli de Hæretic.* subjungens, dictum illud, quod capitulum succedat in jurisdictione Sede vacante, egere declaratione. Et quidem.

22. *Prima sententia asserit, capitulum sede vacante solum succedere episcopo in casibus a jure expressis: hujusque rationes.* — Prima sententia est eorum, qui asserunt, capitulum Sede vacante succedere episcopo quoad illa solum, quæ in jure reperiuntur eidem

concessa. Et pro hac sententia citat Fagnanus in c. *Cum olim*, n. 2. de *Majorib. et obed.* Vincentium, Roffredum, Hostiensem, et Archidiaconum: eandemque sententiam tenet Fenelinus c. *Cum olim*. n. 1. et 7. de *Majorib. et obed.* citans Dominicum in can. *Presbyteri*. dist. 24. et Abbas, cap. II. not. 2. h. t. istud probans ex textu hujus capituli, ibi: « Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante Sede, fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum. » Ex quibus verbis infert dictus Abbas, quod capitulum non succedat in jure episcopi, nisi in casibus a jure expressis: et proinde in casibus dubiis potius judicandum sit contra capitulum. Quamvis idem Abbas, in c. *Cum olim*. n. 2. de *Majorib. et obed.* post Glossam ibid. v. *Pro bono pacis*, oppositam regulam statuatur, dicens: « Regula est, quod capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopali: » subintellige, exceptis casibus in jure expressis. Atque memorata sententia confirmatur ex generali regula negativa, quam tradit rubrica præsentis tituli: *Ne Sede vacante aliquid innovetur*. Nam verba generalia generaliter sunt intelligenda: et ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, l. *De pretio*. ff. de *Publican. in rem action.* cum similibus. Ac proinde, ut recedatur a præfata regula negativa, oportet ostendere exceptionem in jure fundatam, qua permittitur capitulo quidpiam agere, seu innovare, Sede vacante.

23. *Altera tenet, jurisdictionem contentiosam atque necessariam, transire quidem in capitulum sede vacante: non vero jurisdictionem voluntariam episcopi. Jurisdictio contentiosa, et necessaria, quæ?* — Altera sententia distinguit inter jurisdictionem contentiosam atque necessariam, et inter jurisdictionem voluntariam episcopi: atque illam quidem concedit transire in capitulum Sede vacante, non vero istam. Ubi sciendum, quod per jurisdictionem contentiosam intelligatur ea, quæ requiritur ad reddendum jus partibus in judicio contententibus: sicque necessaria est ex parte episcopi, veluti judicis. Per jurisdictionem necessariam vero intelligitur illa, quæ requiritur ad expedienda ea in quibus jus quodpiam tertio fuit quæsitum, etiam extra judicium: et talis censetur intervenire in confirmatione electionum, in institutione præsentatorum, et cæteroquin habilium ad beneficia (nam his ex electione, vel præsentatione legitime facta, jus quodpiam quæsi-

tum fuit) item et in aliis, quæ sunt justitiæ, ac necessitatis. Atque in hujusmodi jurisdictione tum contentiosa, tum necessaria, succedere capitulum Sede vacante, ultro fatetur hæc sententia: alioquin enim tempore Sedis vacantis non esset subditis debite, sufficienterque provisum, si non esset, qui tunc jus dicere, justitiamque administrare valeret, impio contra justum prævalente impune: sicut et in aliis, quæ sunt necessitatis, oportet capitulum succedere in jurisdictione episcopi, ne ex defectu legitimi superioris periculum possit generari in subditis, totaque communitate. Abbas c. *His quæ*. in fin. de *Majorib. et obed.* et alii.

24. *Jurisdictio voluntaria episcopi, quæ? Et cur in hac non videatur succedere capitulum sede vacante?* — At vero per jurisdictionem voluntariam episcopi intelligunt doctores illam, qua episcopus utitur in expediendis illis, quæ a sua libera voluntate dependent: ut est, donare aliquid de rebus suis, conferre beneficia ad suam collationem pertinentia, concedere indulgentias, dare licentiam eligendi confessarium charitativum, subsidium exigere, statuta condere, et alia hujusmodi pro sua voluntate facere, aut etiam ex speciali gratia indulgere. Atque in tali jurisdictione voluntaria succedere capitulum episcopo defuncto, negat hæc altera sententia: pro qua Glossa in Clem. 1. v. *Capituli de Hæretic.*, citat Joan. Monachum: eandemque tenet Joan. Andreas, cap. un. a princ. de *Majorib. et obed.* post Archidiaconum Flamin. Parisius, lib. VII. de *Resignat. benefic.* quæst. 23. n. 13. et 35. ac 36. et nonnulli alii apud Garciam, ubi supra. Rationem dant: quia capitulum Sede vacante est administrator necessarius, non voluntarius, ut inquit Glossa in cit. Clem. 1. vers. *Capituli de Hæretic.* Abbas, c. *Cum olim*. vers. *Extra Glossam de Majorib. et obed.* Felinus, c. *Cum omnes*. n. 10. vers. *Secundo est advertendum de Constitut.* Fagnanus, c. *Ille*. n. 13. h. t. allegans Rotam decis. 3. n. 3. de *Offic. vicar.* in novis. Ergo, ipsum succedit quidem episcopo in illis, quæ sunt justitiæ, seu necessario expedienda (alioquin enim subditis Sede vacante non foret debite, sufficienterque provisum) non autem in aliis, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, sicque gratiam potius respiciunt, quam justitiam. Accedit, quod capitulum Sede vacante non possit conferre beneficia, ad collationem solius episcopi spectantia: bene tamen instituere præsen-